



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal:
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

44.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

ac ideò debet suis sumptibus prædicta prestare. Aliud iudicium est de Iudice delegato, hic enim potest pro Assessore aliisq; officialibus stipendium petere iustum, modò iniquâ fide non petat, quod fieret si Assessor esset inutilis Iudex. verò secularis tam ordinarius quam delegatus potest aliquid pro Assessore & cæteris accipere: cum aliundè reditus non habeat. Ita Azor. supra.

44. Afferimus secundò non posse Iudicem Ecclesiasticum, qui beneficium habet, cui annexa est iurisdictio, à litigantibus accipere munera & sportulas: ita enim prohibetur iure Canonico. *Cap. cum ab omni. de vit. & hon. Cler.* Idemq; iudicium est de Iudice Ecclesiastico delegato, *cap. statutum de rescrip.* ubi decernitur Iudicem à Papa delegatum teneri restituere donatori omnia dona, quæ accepit, etiam si fiat ei remissio à donatore, antequam lis finita sit. Secus verò, si remissio post litem finitam fiat: tunc enim liberalis donationis nomine censetur, nec iam est munus acceptum à litigante. *ita. Sylv. ver: Iudex. 1. q. 8. Angel. eod. ver: n. 8. Azor supra, & alijs.*